



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Regvla LVII. Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio
facienda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

sum hic subijciam) ita censet: Sabinus, ait, in re communi neminem dominorum iure facere quicquam inuito altero posse: unde manifestum est prohibendi ius esse. In re enim pari potiorum causam esse prohibentis constat. Sed et si in communi prohiberi socius a socio, ne quid faciat, potest: ut tamen factum opus tollat, cogi non potest, si cum

prohibere peterat, hoc pratermissit: Et ideo per communi dividendo actionem damnum referri poterit. Sin autem facienti consensit, nec pro damno habet actionem; quod si quid absente socio ad laesionem eius fecit, tunc etiam tollere cogitur, textus in l. Sabinus 2 §. d. Communi divid.

REGULA LVII.

Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.

Per legem intellige pactum a contrahentibus adjectum, ut & in l. Legem 10. C. de pact. in l. Si pro emptore §. 1, §. fin. d. de act. empti, in l. Contractus 23, vers. nam hoc servabitur d. hoc tit. Et alibi sapienter: quod si dubiam est, ea interpretatio sumitur, quæ est contra proferentem: cum illi imputandum sit, quare non apertius legem dixerit. Quod fit, ut interdum pro emptore contra venditorem, & pro conductore contra locatorem, l. Veteribus 39 d. de pact. l. Si arborem 16 §. fin. d. de servit. urb. prad. l. Cum in lege 33, d. de contrah. empti. 6, l. Si in emptione 34, in princ. d. eod. interdum vero contra interpretatio adhibeatur, Quomodo exaudienda est juris regula in l. In contrahenda d. hoc tit. de venditore, qui ambiguum pactum venditioni adiecit, ut illi potius interpretatio noccat. Quare si proferens aliter rem intellexerit, id probare debet: qui enim aliud pro se allegat, probare tene-

tur, l. 1, & l. 2, d. d. de probat. d. l. Veteribus. Quod si non probaverit, culpæ suæ adscribat, quod legem cum in potestate sua esset apertius non dixerit. Sed cur non potius in obscuro, quod minimum est sequitur, juxta Regulam, in obscuro, supra à nobis explicatam? idcirco, quod hic alia causa subit, cur minimum non sequamur, ut jam dictum est; alioqui stamus d. & regula, in obscuro; quod ibi annotandum est. Quod vero contra hanc Regulam adfertur ex l. Inter stipulantem 83, §. 1, d. de verb. oblig. & ex l. De die 8, in princ. d. Qui satis cog. id favore iudicii introductum est, licet supra meminimus, sup. eod. ad cap. Cum sunt partium. Ad l. Eum qui 41, d. de verb. oblig. rectè respondet Glossa hic: idcirco promissionem in Calendas Januarias de primis intelligi, ne actus corruat; forte enim promissor ad ultimas Calendas hujus mundi rem rejiceret.

REGULA LVIII.

Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum.

Expressa juris sententia est, iuramentum toties servandum esse, quoties non vergit in æternæ salutis dispendium, nec redundat in alterius præjudicium, et, de pact. in l. 6, c. Cum contingat 28, Ext. de iureiur. in fine. Ubi ergo vergit in æternæ salutis dispendium, servandum non est, argumento ducto à contrario sensu, quod à jure receptum est, per totos in l. 1, circa princ. d. de off. ejus cui mand. est iurisd. Veluti est iuramentum contra bonos mores præstitum; puta de non alendo patre, vel eo non redimendo ab hostibus, l. Conditiones d. de condit. insti. c. Cum quidam 12, §. fin. Ext. de iureiur. de adulterio, homicidio, sive alio delicto committendo, c. 1, c. 2, Non est observandum can. Inter cetera XXI. quas 4, c. 1, vers. Et talia iuramenta,

de iureiur. lib. 6, Nec enim iuramentum inventum est, ut sic vinculum iniquitatis, c. Quanto 18, vers. si falsum Ext. de iureiur. Et d. c. Inter cetera. Neque in adversum urget textus in c. Debitoribus 6, Ext. de iureiur. quo iuramentum de solvendis usuris servari juberetur. At usura bonis moribus, repugnant, cum sint jure divino interdixit, c. 3, c. 4, Ext. de usur. Quia responderetur, in usuris quidem peccatum versari ex parte usurarii, non autem ex parte promittentis usuras, ut docet S. Thomas 2, 2, q. 78, art. 4, unde ex parte promittentis iuramentum servandum est, & promissæ usuræ solvendæ, licet solutæ rursus condicantur à creditore, d. c. Debitoribus Ext. de iureiur. Idem trahendum est ad pactum legis commissoria iuramento confirmatum,